ZACHARIÆ BRICITO ARCHIEPISCOPO UTINENSI AD REGIMEN SUÆ...

Giovanni Tell

ZACHARIÆ BRICITO

ARCHIEPISCOPO UTINENSI

AD REGIMEN

SUÆ DIOECESEOS

ACCEDENTI

IN OBSEQUENTISSIMI ANIMI

SIGNUM

JOAN. TELL PLEB. VARMI

OFFEREBAT

Carmen

(1) *Urbs formosa procul sensit dum finibus esse*
Insignem BRICITUM deliciasque sui;
Non lacrymis caruere genæ, non fletibus auræ;
Almum hic pastorem nomine sæpe vocat:
Hic decus et patrium cœlo sublimat honorem,
Pars memorat numquam posse videre parem.
Nos etiam Magnum ILLUM (2) lugebamus adeptum
Olim, cum petiit regna beata Dei;
A quo suppliciter certe tunc Ipse poposcit,
Hanc recreet sedem læta juventa Tua.
En tercenta hodie Tibi limen pandere templa,
Nec non millenas tendere cerne manus.
Magnum ad Ovilem qui pastorem questibus orat
Accedis, tergas ut madidam Ipse genam;
Namque gregis vasta extant hic per littora fines,
Quem Tibi submissum tradidit ipse Deus.
Inclita sedes! quin priscosve novosve recordar,
Sancti ac præclari continuere viri.

(1) *Civitas Bassani*
(2) *Emmanuel Lodius*

Nobilium nostræ nunc Urbis mente duorum, (3)
Hæc splendet sedes denuo luce sua.
Insuper ipsa caput sublimes tollit ad Alpes,
Protenditque pedes Adriacas ad Aquas;
Hinc Tulmentum dextrorsum per latera currit,
Quod terret cornu rura simulque sata;
Hinc saxa evolvens undis ingentia Turrus
Illyriam resecans a ditione Tua.
Cultis ac lætis clivis non dissita multum,
Lata in planitie palmite fructifera
Considet Urbs Utini medio, quam forsan ab Unnis,
Aut, dicunt, ab Odin nomen habere Deo.
Clara prius, sed clarior, usta Aquileja superba
Quando juliadum fecerat esse caput.
Diversas etsi linguas in montibus altis,
Ac varios mores cernere semper erit,
(Illyrici quondam et Ruteni namque fuerunt);
Gens labii unius cætera cuncta Tibi.
Nec tantum Te onus accipientem terreat unquam,
In docto clero grande levamen habes;

(3) *Non sunt prætermittendæ curæ Nob. Antonii Caimo Dragoni Potestatis Utini, ac Can. Jacobi Nob. Ottelio, ad id ut hæc sedes Episcopalis ad pristinum Archiepiscopale decus restitueretur.*

Grande in ***EO*** *(4) partes qui celsas* ***CÆSARIS*** *implet,*
Cujus mens sapiens enitet ore suo.
At quid ego studeo ut pellas a corde timorem,
Zelo, quo flagras vincere cuncta potes;
Ardua nam poscit, ferturque ad sidera virtus,
Virtus quæ firmo pectore semper adest.
Facundi eloquii dono solatia præbes,
Ad mores placidos aspera corda moves.
Prodigus es mendico, fidus amicus amicis,
In Te splendet amor cum pietate fides.
De Te fama refert nobis hæc, Inclite Præsul!
Omnibus in nobis ista per ora sonant!
Hinc læti Tibi vaticinamur cuncta secunda,
Nec nos decipiet spes bene capta sinu.
Qui magni Mosis virga tot mira patravit,
Multa tua certo perficit ille manu.
Non secus ac quondam – tecum en ero – dixerat illi,
Nunc quoque promittit subsidio esse suis.
Et promissa Dei cum sit persolvere semper,
Quis Te sub tanto fortior auxilio?

(4) *Nobilis Eques Carolus Pascotini pietate non ficta, sagaci ac prudenti animo, placidis suavisque modis; magis quam imperio hanc moderatur Provinciam.*

Interea sceptrum lætus nunc accipe, Præsul,
Et repetant læti pabula nota greges.
Per Te justitia, per Te nos pace fruamur!
Tu multos teneas pacificosque dies!
Atque diu nobis intersis, Optime Pastor,
Una mente omnes maxima vota vovent.
Nec pigeat Te tot longos perferre labores,
Namque erit in cœlis gloria splendidior.

694

Utini, 1847 - Typ. Turchetto